


PROPOSITIONES PHILOSOPHICÆ

IN ACADEMIA
DILINGANA ANTE
STVDIORVM INNOVATIONEM
publicè defendendæ, per ingenium &
eruditum adolescentem GABRIELEM
Cremfiriensem Philosophiæ alumnum:
Præside R.P.M. IOANNE PAVLO

Oliua; Societatis IESV, in ea-
dem Academia Profes-
sore ordinario.

VI. Calendas Octobris.




DILINGÆ
Excudebat Sebaldus Mayer.

ANNO M. D. LXXII.

REVERENDIS ET CLARIS
VIRIS, DOMINO VVENCESLAO
Bogstadiensi, Decano Ecclesiae Metropolitanæ Olomucensis,
Domino Matthia Præposito, ac toti Canonicorum
Collegio, GABRIEL ANDRÆ
Cremstiensis S. P. D.



*V*AE sunt res, Viri Amplissimi, quibus nihil est magis secundum naturam, religio sive pietas, et doctrina liberalis. Hæc nos hominibus, illa etiam Deo sumus operè commendat. Ac mihi quidem de harum coniunctione idem videor posse dicere, quod M. Tullius in quodam libro de eloquentia et sapientia diuinatus affirmauit: religionem sine eruditione parum prodeesse ciuitatibus, eruditionem vero sine religione nimium obesse placrumq; prodeesse nunquam. Ita fit, ut per se vtraq; res non multum habeat firmitatis: cum altera autem consociata, pacè tantum possit, quantum verit. Quare summa vobis laus ab omnibus tribuenda est, cum et ipsi pietatis sanctitatem cum eruditio[n]is præstantia præclarè coniungitis, et ab his, quorum ad vos cura pertinet, coniungi vehementer optatis. Hinc nimurum est, quod alumnos vestros ad studia literarum in florentissimas Academias atq; Scholas mittitis, et nullis parcitis sumptibus, dum illi modò non parcent diligentie. Itaq; cum à vobis Dilingam missus, in quo loco est quidam velut mercatus artium optimarum, biennium iam in Philosophiae spatij decurrentis consumpsericis, sane, cum mea voluntate, tum Magistrorum et Doctorum meorum auctoritate, qua nihil est apud me gravius, adductus, collegi aliquot sententias et assertiones ex ea potissimum Philosophic parte, quæ naturæ explicationem continent, quas in vestro nomine apparere volui, ut si iam alijs, et maioribus rebus non possem, hac saltem minima beneficij memorem animum ostenderem, meumq; erga vos studium declararem. Spero autem et plane confido, meum hoc qualecum munus, vobis, religiosissimi viri, iucundum et gratum fore, Valete. Datum Dilingæ, Idibus Septemb. Anno M. D. LXXII.



PROPOSITIONES PHILOSOPHICÆ.

Ex Philosophia in genere.



VM duplex animis nostris intelligentiæ concessa sit, sciendi scilicet et agendi, duplexq; hic nobis in cognitione finis sit propositus, Philosophiam, hoc est, sapientia studium, à granissimis auctoribus in contemplationem et agentem merito distributam esse, nemo dubitauerit.

Ea rursum pars, quæ à commentatione nomen sortita est, propter tres illas, quibus mens nostræ à materia et motu in cognoscendo segregare solet, rationes, in tres sibi subiectas partes distribuenda est, Mathematicam, Naturalem et Metaphysicam; nec immerito: nam licet in postrema hac quedam magis, quedam minus à materia seiuincta sint, nihilominus cum omnia materiam à se excludant, ἐνελόγικῶς inter se illa conueniunt; unde fit, ut unius scientia subiectum ex Aristotelis etiam sententia, constituant. Agens uero Philosophia sive practica, in agentem magis propriè dictam, sub qua Ethica, Monastica, Oeconomica et Politica continentur, et in facientem dividitur.

In hominum animis Philosophie cognitione informandis, is ordo rectè seruatur, ut Mathematicæ discipline primo, tunc Physicæ, Moralis tertio, demum Metaphysicæ tradatur, licet alijs, si natura ipsarerum spectetur, ordo prescribi poscit.

Mathematicæ facultates dignitate omnium insimæ, et demonstratione certissimæ, obiectam materiam habent quantitatem, ut quantitas est, nullam complectens necessario ad motionem et res physicas habitudinem: cumq; hec et discreta sit, et cōtinua, que de priori tractat Arithmetica nūcupata, prior et præstantior, Geometria posterior censenda est.

Philosophia naturalis licet à primo hominum parente ad Aristotelis usq; tempora, uelut per manus posteris tradita deuenerit, tamen quod ea temporis diurnitate, et hominum incuria, obscura admodum et imperfecta foret, ab alijs paulatim exculta, et ab Aristotele perfecta propemodum est: cuius obiectum est corpus id, quod motionis in se principium ha-

A 2 bet.

I.

II.

III.

IV.

V.

bet, quā huiusmodi est, ex cuius etiam partibus eiusdem Philosophiae par-
titio existit.

V.I. *Moralis Philosophia*, quae nobilitate Mathematica superior, certitudi-
ne hac ipsa inferior, ceteris contemplantibus scientijs utroq; modo post-
ponitur, humanum bonum, ut tale est, cœarem subiectam requirit: ac cū
illud quadripartitum sit, (uel enim est in perturbationum per virtutem mo-
deratione, vel in hominis, quatenus sibi tantum uiuit directione, vel in ciu-
dem, ut est pars multitudinis, & huius aut domesticæ aut civilis, decentiæ re-
gimine cōsistens) quatuor assert nobis *Moralis scientie facultates*, *Ethicam*,
Monasticam, *Oeconomicam*, & *Politicam* reliquis longè ante ponendam.

VII. *Metaphysicam* porrò, quod in Entis quatenus ens est peruestigatione
tota sit posita, & scientiarum omnium præstantissima facileq; princeps, Sa-
pientia atq; Theologæ nomen, quam naturali rationis lumine assequimur,
meritisimò sibi usurpare manifestum est: ipsa uero & diuina quedam est,
perinde ut reliquæ disciplinæ, ueri perspiciendi facultas, & tres sibi, easq;
nobiliſimas, secundum Analogiam subiectas partes complectitur; quarum
prima, communiora in rebus & magis uniuersa persequitur; altera accura-
tam de diuiniis mentibus, certis tamen perfectionis limitibus coarctatis com-
mentationem instituit, que autem postrema est, immensam atq; ab omni cir-
cumscriptione immunem præpotentis Dei essentiam, summa cum animorum
delectatione pertractat. Quocirca iure illud factum est, ut ceteræ ad intel-
ligendum accommodatæ facultates huic sese submittant, & propria ab hac
objecta percipient.

Ex libris Physicorum.

VIII. Rerum omnium quæ sub aspectum cadunt principia, ex earundem trans-
mutatione inquirenti, mox se offerent materia, priuatio & forma: siquidè ex nihilo solle naturæ viribus nihil fieri cōmuniis Philosophorū consensus
iampridem approbavit: hæc autem tria partim simplicia sunt et contraria,
partim uero non. Male proinde antiquos illos de principijs sensisse cōstat.

IX. Materia non pura quidem entis potentia, ens tamen secundum formam
plane imperfectum, quantitatem finitam sibi connatam habet, at nullam cor-
poris formam, sed formarum omnium ex primi Opificis constitutione basis
est & fundamentum: unde ad *Physicum* explicationem eius maximè perti-
nere, non dubitamus. Appetitus ad formam ipsi congenitus ab essentia, quo-
modo & potentia formaliter differt.

Propria

X. Propria existentia, licet imperfecta, materia consitit: ortus autem ac
interitus, cuius quem naturæ dicimus, expers censetur, quandoquidē tanquā
primum subiectum, ex quo inexistenti queq; res fiunt non secundum accidēs,
unum per se cum forma efficit: est nihilominus potissimum principium in-
ternum, ob quod rebus accidat corruptio.

XI. Priuatio, id est, forma negatio in materia ipsam apta suscipere, idē cum
materia subiecto est seu numero, nec una tantum sed multiplex, & etiam ipsa
(si id nomen non ita pressè sumere libeat) ab ea sciuncta: Molitur autem ma-
tia non materie simpliciter, sed formæ, & maximè composto.

XII. Forma, cuius id proprium munus est, ut uelut potior & à materia re di-
stincta coniuncti pars, certam rei largiatur speciem, materia partim prior,
partim est posterior, ciusq; finis multum dignitate præcellens. Est item illa,
prima affectus omnis & operationis speciei competentis origo & princi-
pium: quia uero & dum producitur, & dum conseruatur atq; agit, à mate-
ria dependet, sui cum ipsa unionem summè desiderat.

XIII. Naturam actionis, tam eos que in alterum subiectum transit, quam que
in efficiente recipitur, principium, interna ad utrang; habitudine ordina-
tum, neq; solam materiam, neq; formam, neq; ambo hæc simul coniuncta, sed
aliam quandam ex his conflata, formaliter autem differentem essentiam
esse arbitramur, proprietates etiam complectentem. Rationem autem illius,
qua causa dicitur & principium motus & quietis eius in quo est per se, &
non per accidens, & celestibus corporibus, & animalium quorumlibet
formis attribuere, ipsanos ueritas compellit.

XIV. Arte, quæ aliud quoddam à natura rerum initium statuitur, natura præ-
stantior est, & illius fundamentum: quocirca eam ars imitatur, & perfe-
ctionem naturæ adfert non contemnendam: indiget namq; hæc illius admis-
ticulo propter præstantissimam nostri orbis partem, hominem dico rati-
onis lumine ceteris antecellente, cuius uita, mirum dictu, quantum artis bene-
ficio auxiliij, quantum iucunditatis capiat & splendoris.

XV. Quatuor tantum sunt *Physicarum* causarum genera, materia, forma,
efficiens & finis. Quanquam enim exemplares formas Ideas dictas uera
Philosophia concedat, quemadmodum nec Peripatetica nec Platonica insi-
ciatur, tamen inter causas numerande non sunt. Non autem ista extra di-
uinam mentem à rebus secretæ compariuntur (quod Platoni, licet fortassis
falso, adscribitur) sed in primo atq; supremo rerum fabricatoris Dei intel-
lectu.

XV. lecta, eiusq; simplicissima essentia, comprehensa: plures illae quidem, nec specierum modo, verum etiam individuorum, siue substantiae sint, siue accidentium illa, quae diuersam ab ipsis productionem sortiuntur. Materie vero, et forme, quod omnino numero absoluta entia non sint, nullam propriè idem dari, astruimus.

XVI. Licet rebus natura conflantibus necessitas aliqua absoluta (ut dicitur) propter materiam accidat, huius tamen prima origo atq; potissima finis est, qui merito causa causarum nuncupatur; siquidem ea ipsis est uis atq; potestas, ut sui desiderio res quasvis, ad operandum que cuiusq; naturae conuenient, excitare sufficiat, nec unquam nisi illum appetentes in opus prodeant: quod si aliundē præpeditæ, desideratum non assequantur, monstra faciunt; que tamen, cum et ipsa uniuersum suo modo non nihil exornent, communis omnium natura non planè reiicienda putat.

XVII. Quantitas est cuilibet corporum omni ex parte definita (sine qua ei nec actio uilla conuenit, nec passio) finitisq; partibus physicis ab ea remotis, tandem consumitur. Infinitum proinde actu, in rerum uniuersitate non datur, inq; ratione aliqua dari posse, ueritati est consentaneum: continuum tamen omne infinitè diuidi posse constat: non enim ex impartilibus (quod quidam dixerunt) sed ex continuis partibus in ipso actu existentibus constituitur.

XVIII. Prima loci ratio non est superficies, quamvis absq; superficie res materiali locum suum non obtineant. Omnia autem, etiam corporeæ concretionis experientia (DE V M Opt. Max. excipio) suæ natura certis in locis sunt, cum tali discriminé, quod quæ materia carent, definitiæ (ut dicunt) tantum, at corpora circumscriptiæ loco participant.

XIX. Ceterum si illud quoq; cognoscere libeat, Posintne duas res unius eiusdemq; loci limitibus contineri? Nos ita statuimus, Duo corpora, si admixrandæ summi procreatoris Dei uirtutis rationem habeas, simul esse non res pugnare, naturæ uero potestatem multum excellere: plures autem substantias ab omni corporeæ mole immunes, naturali etiam uirtute speditata, partim posse, partim non posse iisdem sedibus uno tempore definiri.

XX. Motus ab actione et passione non re, sed forma tantum seunctus, in qualibet categoria esse nequit, sed tribus duntaxat quantitat, qualitat et ubi, conceditur. Subiectum autem requirit quantum, terminum partibilem et contrarium: Idcirco tamen existimandum non est, individuum à materia secretum

secretum (quales sunt diuine mentes) motione aliqua discreta, aut continua etiam cieri haudquam posse.

XXI. Tempus, non mentis ratione constituta, sed uerares est in continua successione consistens et uicissitudine. Quod si pro interna rerum labentium mensura tempus accipiatur, multiplex, si pro interna, unicum tantum esse, id nempe quod coelestium corporum motum atq; agitationem consequitur, rationi consonum arbitramur: unde motum instanti temporis describi posse, nemo dixerit. Porro tempore, res naturales omnes earumq; substantie, si eas permanentes non habeant, si uero secus, earum actiones, que transmutationi coniunctæ sunt, mensurantur.

Primus naturæ auctor atq; architectus, DE V S Opt. Max. est, qui, consentientibus cum uera Philosophia Aristotele et Platone, nulla eam necessitate, sed uoluntate libera ex nihilo procreauit, quicq; omnis concretionis expers, et magnitudinis, uirtute precellit infinita et nullis terminis circumscripta. Quamuis autem Catholica fide, uniuersitatem rerum eternam minimè fuisse cognoscamus, aliquam tamen eius partem, coelestes nimirum mentes, ab eterno summi conditoris iustione fieri potuisse, non est fortassis à ueritate alienum.

Ex libris de Calo.

XXII. Corpus coeleste communè cum inferioris ordinis rebus materia, et propria atq; ab elementorum distincta forma constans, uiuenti natura absolute est imperfectius, ortus tamen expers et interitus: Huius orbes, undecim numero certo quodam dignitatis ordine inter se connexos, partim naturæ lumine, sacra partim auctoritate permoti, cognoscimus.

XXIII. Cœlorum motio sensu oblata, non astris, sed orbibus, nec naturali soli corundem potestati, sed beatarum etiam mentium uirtuti, quarum singula singulis à primo et supremo omnium motore orbibus preposita, forte singularum quoq; que plures in eodem orbe compariuntur, motionum cause existunt, tribuenda uidetur. Neg. uero quod orbis ipse moveatur stellas etiam orbiculari motu circumagi, temere quis affirmarit. Illud addendum, substantias nulla alia preter corporis rationem, participantes, uisib; con genita producere, corporibus coelestibus esse concessum; uiuentes autem, non nisi quatenus motoris sui sunt instrumenta.

Ex libris de Ortu & interitu.

XXV.

Forma est virtus & xere quæcumq; ad quam res naturales mouentur, communicari pluribus potest, tūm propter seipsum, tūm propter materiam; ipsa etiam ex materie potestate iam educita, per se (licet alia nonnulla ad id exigantur) singularis est ex una numero. Formam autem sine qualitate per se tantum agere non posse, uero similius est. Ceterum quod quæri solet, An duabus unius speciei formæ accidentariae in eadem subiecti parte queant existere, firmis pro utraq; parte rationibus adducti, alijs determinandum relinquimus.

XXVI.

Ab uno agente unus tantummodo actionis proficiscitur effectus, quamquam nisi dextre propositio ea intelligatur, non necessarium semper habeat ueritatem. Simili autem in quodvis sibi simile agere datum est, nisi par sit utriq; agendi uis, equalisq; potestas. Neq; uero à actio Phystica sine contactione secundum magnitudinem ulla exercetur, neq; res quæ operationis effectrix est, ab omni patientis actione libera censemur ex immunis, sed mutuis plerumq; cernas inter se uiribus dimicantes.

XXVII.

Generatio motum quidem requirit præium, motus tamen non est, sed à quacumq; alia mutatione distincta: ipsam uero uiam quandam esse existimamus, qua forme substantiales omnes (una rationali excepta) dispositiōnum ui ex materia potestate in actum educantur: ex quo constat, generationis ex interitus, cuius illa semper individua comes est, diuturnitatem instanti temporis definiri. At cum id quoq; inter Philosophos controuersum sit, Num ortus ex interitus uiciſſitudine, durationem perpetuam natura sortiri posse, nécne, statuendum uidetur, uniuersitate rerum proprijs uiribus etiam relicta, nec à suo Conditore præpedita, id fieri neutiquam posse.

XXVIII.

Elementa quatuor, inferiorum corporum concretionis maxime experitia, ecclio coæua tempore, posteriora natura, formas substantiales adepta sunt nullam sui aut intensionem admittentes aut remissionem. Præter eam autem qua suis queq; motionibus feruntur, binæ singulis qualitates agendi ui excellentes, secundum naturam attribuuntur: ignis proinde calidus exsiccus, aër calidus ex humidus, aqua frigida ex humida, terra sicca existimat ex frigida.

XXIX.

Transmutantur elementa in se se mutuò, ex concretorum insuper corporum sunt principia. In his uero existunt omnia non tantum secundum potentiam,

tentiam, sed actu, proprias quidem formas non conservantes, sed in media quandam, quæ illarum in se naturam uirtute complectatur, transformata. Ea propter recte Aristoteles, Saluatur, inquit, uirtus eorum, ex Mixtio est mistibilium alterorum unio.

Ex libris de anima.

XXX.

Formæ, quæ intentionales vocant, inter entia rationis non sunt committendæ, sed in eorum quæ uerè ex re ipsa existunt numero reponendæ, quæ non aliqua uel animæ uis, uel mens à materia se iuncta, aut alia naturalis causa, sed obiecta sensibilia producunt; licet aliquam aliam causam nominabil etiam ad id conferre, nequaquam inficiemur.

Harum formarum adminiculo, animæ facultates cognitionis particeps, ipsa quodammodo obiecta, cum prius (ex Aristotelis sententia) eiusmodi solum essent potestate, re ex actu constituantur, ex magis cum etsi, quam cum forma materia, coniunguntur; ex sane non iniuria: ex eo namq; (ut præclarè D. Thomas docet) quod uis cognoscens talis naturæ sit, ut possit fieri cognitum, alioquin maxime à se distinctum, cognitionis omnis initium ducitur: hoc autem inde ei accedit, quod à materia aliquo modo est absoluta, ex quo prestantius id ei conuenit, hoc amplius apprehensionis fit particeps ex intelligentia, ut naturas cognitionis splendore illustratas contemplanti, faciliter patet.

Categorias qualitatis, quatenus habitus ex dispositiones seu partē subiectam complectitur, propria harū formarū sedes est, quādoquidem per ipsas haud secus quam per principia, ex quibus sensuum cognitionis rationem suam accipit ex denūcupationem specificam, sentiendi facultas proprium apprehendit obiectum. Varij autem sunt earundē ordines utq; gradus: Nam liceat à materia omnes secretæ cognoscantur, quedam tamen præter conditiones materiae individuas, rem etiā præsentem exhibent, hisq; uelut rerū similitudinibus externi sensus afficiuntur: quedā dictas tantū conditiones, nō res ipsas præsentes referunt, quales phantasias sunt propria: quedā uero (non sensatas dicunt) sensibus per se ipse non oblatæ ex illis sensu perceptis rerum formis, estimandi facultatis ui hauriuntur, quibus res animatae, ut sibi cōueniens sequantur, aduersum fugiant, permouentur: quedam porrò aliae ab omni cū materia cōiunctione libere, ex corporeis cōditionibus remote, intelligentes, à qua et intelligibiles dictæ sunt, suam operam locare consueuerunt.

Ex Metaphysica

XXXII.

Ex Metaphysica.

XXXIII. Entis notio, que de finito ex infinito uera affirmatur, analoga est. Non autem ambo hec Entia indifferenter, sed finitum tantum, nec quodcumq; uerum id solum quod natura significat, Categoriarum, de quibus etenim logos dicitur, statuendum est principium. Huic quoq; primò omnium affectiones uera ex (ut aiunt) positiva non re sed formaliter ab eo discrepantes conueniunt. Ceterum prima illa mens ex diuina essentia, quod nullis terminis circumscribatur, Categorie alicuius ambitu nequitam continentur, sed creatis quibusq; rebus in immensum prestantior, Categoriarum supremus auctor est atq; effectus.

XXXIV. Existentialia non solam rerum efficientiam significat, nec existere, est rem ab effectrice causa productam esse, sed uera quadam est Entis ratio, non tam (si propriè loquamur) accidens, sed modus essentiae, qui tunc demum ipsi conuenit, quando uera in rerum uniuersitate est constituta: quo fit, ut recte admodum illi sentiant, qui existentialiam formaliter tantum ab ipsa differre arbitrantur. At uero essentia ex natura ab unicō & seu supposito re ipsa distinguitur; hanc etenim ab illo separari omnino posse, in confessu est.

XXXV. Diuinas quasdam in uniuerso mentes reperiri, cum Philosophia ipsa, tum grauissimis sapientum virorum de ipsis sententijs comprobatum est. Quanquam autem nulla in ipsis ex forma & materia, ne spiritali quidem (quod Anicebron sentiebat) sit coniunctio: non tamen simplices plane actus, ex absq; omni compositione existimari debent, sed licet omnis interitus sint expertes, plurium nihilominus affectionum et accidentium propria esse subjecta. Neg: item coelestium conversionum numero (ut uult Aristoteles) earum multitudo circumscribitur; quin potius innumerabiles penè sunt, ex praeclaro inter se ordine connexae: Atq; cum ex intelligendi uia ex libera perfruantur appetentia, naturam corporatam omnem ea lege moderantur ex administrant, ut simul ipsa, quomodo ex cetera, opifici adificatoriq; mundi Deo subiecta obtemperent. Hic autem solus omnino simplex, infinitus, aeternus, unicus, ex cui nihil addi posset summus atq; perfectissimus est actus: de quo præclarè illud in prima Philosophia dixit Aristoteles, Vnus ergo princeps.

Laud Deo Virginisq; Matri.

